



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**PSALTE=||RIVM DAVIDIS || CARMINE REDDITVM || PER  
EOBANVM || HESSVM.||**

**Hessus, Helius Eobanus**

**Lipsiae, 1557**

**VD16 B 3198**

Ivstvs Ionas Lectori Gratiam & pacem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69301](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69301)

IVSTVS IONAS  
LECTORI GRATIAM

& pacem.



OB ANVM HESSVM,  
qui elegantissimo carmine hoc no-  
bis reddidit Psalterium, inde ab an-  
no etatis meae XV. propter inge-  
nij ubertatem diuinam, admiratus  
sum semper, & tum quidem adolescens adolescen-  
tem. Iam sub ingrauescentem etatem utriusque no-  
strum, multo magis senem ad miror senex. Et quan-  
tumuis hebescentibus oculis, nunc primum cerno  
quam honorifica mihi, cum hoc tempore, tum ad om-  
nem posteritatem, futura sit amicitia illius uiri tanti,  
qui suis immortalibus Poematis non solum studia &  
litteras mirifice adiuuit & excoluit. Sed & ita conse-  
rens ad scribenda sacra illum zelum, illam industri-  
am praestantis sui ingenij & spiritus, non paulò cul-  
torem ornatioremq; reddi ait uniuersam doctri-  
nam Christianae professionis. Atq; hinc effusè me læ-  
tari, gratulariq; mihi illam tam ueterem coniuncti-  
onem, & eternam necessitudinem, cum hoc diuino,  
& immortalis Poeta, nemo miretur. Neq; enim parua  
apud me res est, me Eobane Hessi amicitiam, quam  
inde à teneris inter honestissima studia coalescere  
memini, subinde magis cultam confirmatamq; omni  
genere officiorum, his asperis & difficilibus tempo-  
ribus, quibus saepe leui occasione, arctissime coniun-  
ctorum



EPIST. IVSTI IONAE.

etorum dissilunt necessitudines, integram conser-  
 uasse, & quasi thesaurum magnis periculis seruatum  
 & ereptum, transmissurum esse ad heredes. Ipse  
 Eobanus iam olim, non solum summis quibusq; Ita-  
 licis, Germanicisq; huius seculi ingenijs, sed cum  
 omni uetustate facile certans. Quamuis multa præ-  
 clara Poëmata edidit, tamen præcipue id de hoc suo  
 Psalterio iudicat, quòd propter grauitatem & san-  
 ctitatem argumenti, Deinde quòd opus senili quo-  
 dam iudicio, & prudenter miroq; labore subactum  
 & propositum est, ut docti facile iudicant, eò facilius  
 superuicturum esse ad posteritatem. Proinde cum ui-  
 derem non displiciturum Eobano, ut huic æterno  
 operi adderem breue scriptum, in quo testatum relin-  
 querem, quanti amicitiam uetustam nostram floren-  
 ti ætate inter nos coeptam, & in hunc usq; diem san-  
 ctissime cultam, conseruatamq; facerem: quanti de-  
 inde illius Hesici Davidis Citharam, quam proximè  
 Iessæi Herois suauitatem, & sonum referentem, om-  
 nibus pijs, & eruditis faciendam esse ducerem: Ad-  
 didi ergo hoc incultum, & tenue meum scriptum,  
 non aliter atq; si discipulus pictoriæ, ad excellentis  
 artificis alicuius opus rude addat τὸ ἄγαστον. Psalte-  
 rium inter summos scripturæ totius libros esse nemo  
 ignorat, eius laudes per sese celebres sunt satis can-  
 tate, & nunc elegantissimis his Eobani uersibus dia-  
 gne quibus ebuccinandis certatim incumbant, om-  
 nia summa & Eobani similima ingenia. Hortarer

Bb 3 Adole



EPIST. IVSTI IONAE.

adolescentes ad terendum inter manus, tam diligenter hoc Psalterium Hesi, Poëtico, & miro ornatu uestitum, quam ipsius Davidis diuina Poëmata ipsa, nisi uiderem Eobanum ita feliciter & diuinitus ipsum pondus rerum maximarum, uitam & ardorem affectuum, maiestatem, uim atque neruos orationis Propheticae assequutum esse, ut lectores facile inuitatura sit mira amoenitas carminis, ut Dauidem ipsum, si reuiuisceret, lectorem allicere felicissima imitatio possit. Et mirum non sit, si ad sic expolita Dauidica illius Citharæ dulcissimum & uere Musicum sonum, non solum omnes qui Literis, Musis, aut Fidibus non inimici sunt. Sed & ueluti ad Orpheum quendam arbores atq; saxa accurrant. Lector uale, & Psalterio Hesi dauidico fruire. Data Vuitemberge, Cal. Augusti. Anno à Christo nato M. D. XXXVII.

HELIO